DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
INCLYTA FACULTATE MEDICA JENENSI
GRATIOSE INDULGENTE,
MODERANTE
VIRO EXCELLENTISSIMO,

DN. AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, MED. D.
ANAT. CHIRURG. & BOTAN. PROF. PUBL.
ARCHIATRO DUCALI SAXONICO,
FACULTATIS SUÆ p. t. DECANO
SPECTATISSIMO,
DN. DOCTORE ATQVE PROMOTORE ÆTATEM
PLURIMUM MIHI OBSERVANDO

RESPIRATIONIS
LÆSIONES HYPOCHON-DRIACO-SCORBUTICAS,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQVENDI
publicæ censuræ exponit

GEORGIUS FRIDERICUS CELLARIUS,
HASELLA-SCHWARTZBURGICUS,

ad diem XVII. Novembr. M. DC. LXXVII.
IN AUDITORIO MAJORI
horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.

I. N. J.

QVod in Chymicorum foculis videmus, ab aëris admiſſi quantitate ignis dependere regimen, eundemque vel intendi aëre liberiore ventilatum, vel extingvi penitus, iſtô velut pabulô ſubtractô; Idem in nobis totâ die obſervamus, ab inſpirato aëre ſuſtentari flammulam vitalem, ac extingvi protinus, ſpiritu ad breve temporis intervallum præcluſo. Ita nimirum eſt, quàmdiù reſpiramus, vivimus; quando exſpiramus, morimur. Cibo ad tempus ſatis longum quosdam abſtinuiſſe legimus; aurâ ætherea ſemper veſcimur, ac ne pauciſſimis quidem horæ minutis absq; inevitabili vel vitæ, vel valetudinis diſcrimine poſſumus carere. Ut undis ſubmerſos ac patibuli candidatos jam non attingamus, nec apoplecticos, hyſtericas, anginoſos, hydropicos, pleuriticos, aliosque iſto aëris commeatu intercluſo, ſuffocatos pluribus commemoremus: Vel ſolos aſthmaticos intueamur, quibus non anguſtiis ac ineffabili cordis anxietate, ob pabuli vitalis penuriam, miſeri tenentur! *Omnia corporis aut incommoda, aut pericula per me tranſierunt*, elegantiſſimè *Seneca* ſcribit *epiſt. LIV. nullum mihi ſuſpirio videtur moleſtius; aliud enim, quicquid eſt, ægrotare eſt: hoc, animam agere.*

Præ reliquis verò hypochondriaci ac ſcorbutici frequentiſſimè, quantum aëris liberior inſpiratio præpedita valetudinis ſit diſpendium, magno cum damno experiuntur. Videas enim plerosque horum aliquando continuò, ſæpiùs à leviſſimo motu anhelos, & vitalem auram anxiis captantes ſuſpiriis: Alios deſubitò tanta præcordiorum anguſtia, ac velut ſuffocatoria anxietas invadit, ut, quò ſe vertant, neſcii, perpetuâ mortis formidine, quam ipsâ

morte terribiliorem judico, teneantur. Nec novum, quosdam cum molestissimo malo aliquandiù conflictatos, ex improviso tandem, spiritu planè intercepto, suffocari.

Atque cùm respirationis læsiones, ab hypochondriacâ & scorbuticâ labe inductæ, in praxi frequentissimè occurrant, ac à vulgò notis respirationis læsæ symptomatibus tùm quoad caussam, tùm quoad medendi methodum immanè quantum differant, à nemine tamen, quod sciam, distinctè satis, & quantum rei usus exigit, expositæ fuerint; placuit eas inclutæ Facultatis medicæ autoritate, in Dissertationis Inauguralis materiam seligere, earumque ætiologiam ac therapiam uberius paulò, quantum quidem pagellarum angustia & ingenii vires permittent, persequi; Faxit supremum Numen, ut omnia ex voto succedant!

Caput I.

Generalia quædam tùm de respiratione ejusque læsionibus, tùm de malo hypochondriaco ac scorbuto præcognoscenda.

§. I.

Ut in eruendis læsionibus respirationis hypochondriaco-scorbuticis, earumque caussis feliciùs progrediamur, è re fore videtur, pauca tùm de respiratione ejusque læsionibus, tùm de hypochondriacâ atque scorbuticâ affectione in genere, quantum instituti ratio postulat, præmonere.

II. *Respirare* animalia dicuntur, quando aërem in pectus admitttunt, eundemque vicissim emittunt. *Respiratio* itaque duobus absolvitur actibus alternatim reciprocantibus, *inspiratione*, quâ auctâ ob elevationem thoracis & diaphragmatis contractionem, pectoris cavitate, aër pulmonem vesiculas intrans eos expandit undique, & cavitati pectoris coextendit; & *exspiratione*, quâ coarctatô rursus thorace, & fibris diaphragmatis relaxatis, pulmones comprimuntur, & sic aër admissus iterum expellitur.

III. Qui

III. Qui aëris reciprocus per pulmones motus ad vitam, ejusque munia continuanda adeò necessarius est, ut eô ne paucissimis quidem horæ minutis absque præsentissimo vitæ periculo abstinere verè queamus, quod fit, quatenus *respiratione circularis sangvinis per pulmones, atque adeò universum corpus, motus promovetur*, quô inhibitô sangvis circa præcordia concrescere incipit, cor à motu, & animal à muniis vitalibus brevi cessat. Ut nihil de sangvinis refrigerio *Veterum*, condensatione *Sylvianâ*, miscelâ in pulmonibus *Malpighiana*, aliisque usibus minus principalibus nunc addamus.

IV. Ad istam verò continuam aëris reciprocationem, præsuppositô animæ & spirituum animalium influxu, concurrunt 1. activè quidem *musculi* omnes, *costas modò elevantes*, atque sursum-extrorsum moventes pro inspiratione; quales serrati postici superiores & inferiores, levatores costarum Stenonis, & cervicales descendentes Dümmerbroccii: *modò rursùs deprimere*, ac deors-introrsum movere *valentes*, pro exspiratione, in moderatâ quidem solùm musculi sacrolumbi; in auctâ simul musculi abdominis recti & obliqui. 2. *Diaphragma*, fibrarum contractione, hancque subsequente centri membranacei concavitate ad pectoris cavitatem augendam; rursus verò fibrarum relaxatione, & consequente centri membranacei globositate ad thoracis coarctationem aliquantum contribuens. 3. Passivè magis *pulmones*, ex innumerabili vesicularum orbicularium congerie contexti; quas arteriæ & venæ pulmonalis exilissimæ propagines undique cingunt atque colligant, quæque facillimè ab aëre intrante expandi eodemq; rursus emisso subsidere queunt. 4. Præter jam dicta *os, fauces, nares, larinx, aspera arteria*, liberum aëri meatum concedendo: *nervi* cervicis, dorsi ac lumborum, *costæ* omnes. *sternum, claviculæ, scapulæ* &c. motui thoracis velificando; *aër* ipse atque *sangvis* intra pulmones recipiendus, insigne conferunt momentum.

V. Cumq; tanto instrumentorum apparatu ad functionem hanc nobilissimam opus habeat natura, non mirum, eam diversimodè lædi, modò viis prædictis liberum aeri ingressum negantibus, modò pulmonibus ob bronchiorum infarctum aërem debitâ quantitate non admittentibus, modò diaphragmate & muscu-

lis respirationi dicatis; expansionem pulmonum pro hauriendo aëre necessariam vel impedientibus, vel certè non debitè promoventibus: ut nihil de sangvinis aërisque indispositione nunc addamus; Unde infinitæ propemodùm exurgunt respirationis læsiones, quas erudito opere persequitur *Fabr. Bartolettus, Bononiensis*, cui Tit. *Methodus in dispnœam*. Nobis in præsenti istas solùm respirationis læsiones seligere placuit, quas depravatio sangvinis hypochondriaco-scorbutica inducit. Eas verò antequam aggrediamur, paucissima adhuc de affectione hypochondriaca atque scorbutica erunt præmittenda.

VI. Conjungere utramque placuit, quoniam, effato *Willisii de scorbut. cap. 2.* affectioni hypochondriacæ scorbutus adeò affinis est, ut illi sæpissimè aut comitem se adjungat, aut superveniat; quâ de causâ quibusdam affectus hypochondriacus consummatus audit. Concipio nimirum in utroque affectu cum *Gregorio Horstio Tract. de scorbuto, sanguinem crudum & ichorosum*, hoc est, ut ex *Neotericorum* principiis terminos istos illustremus, sangvinem nunc limosum, feculentum, ♀eum, vappescentem; nunc sero acri, salibus modò lixivis, modò acidis, austeris, Onosis, ⊖latis inquinato, plus minus dilutum. *Crudum* quidem sangvinem dejectus corporis vigor, lassitudo spontanea, torpor & membrorum gravitas, aliaque hujus generis symptomata; *Acrimoniam salinam* dolores intolerabiles & partium nervosarum lancinationes multivariæ plus satis produnt; quibus si gingivas corrosas, ulcera crurum depascentia, linteamina & vasa tùm vitrea, tùm ænea ab ▭â, sangvine per hæmorrhagiam emisso & vomitu scorbuticorum brevi tempore corrosa, addideris, de salibus scorbuticorum corrosivis nullum amplius erit dubium, Exempla talia annotarunt *Döringius l. 1. de Medicin. & Medico, Salmuth. l. 2. observ. 4. Dn. D. Ettmüller. de Medicina Hippocr. chymicâ*, aliique.

VII. Generatur verò crudus ejusmodi & ichorosus sangvis potissimùm viscerum chylificationi & sangvificationi inservientium vitiô, nunc unius, nunc plurium. Cumque qualis chylus, talis sangvis; qualis sangvis, talis plerumque soleat esse sanitas, meritò ad primam œconomiæ animalis culinam, *Ventriculum*, ante omnia respiciendum, quando vel ob fibrarum relaxationem

nimiam,

nimiam, vel fermenti vitiô, vel caloris atque ſpirituum affluentium defectu, vel ingeſtorum culpâ chylus non debitè aëreſcit, nec particulæ dulces, balſamicæ, ſubſtantificæ ritè evolvuntur, ſed longiori, quàm par eſt, in ventriculo morâ in maſſam vappeſcentem, viſcidam, acrem, acidamve liquantur, partibus chyli tenuioribus & ſpirituoſioribus interim juſto citius elapſis, ſangvinem ſeroſiorem, inque ebullitiones pronum producentibus.

IIX. Maſſa prædicta acida, viſcida &c. in flatus quippe reſolvi aptiſſima, partim ventriculum inflat atque diſtendit, unde inflationes dolorificæ & tormina varia; partim plicis ventriculi inhærens ingeſta quævis corrumpit, atque ſimili acore inquinat, quæ poſtmodum ſub chyloſi liquaminis larvâ ventriculo elapſa, modò ob viſcoſitatem & limoſitatem in venis lacteis ſtagnando, modò ob acorem ſangvinem in meſaraicis coagulando, atque ad obſtructiones diſponendo, modò maſſæ ſangvineæ infuſa eandem diverſimodè vitiando, ad hypochondriacam & ſcorbuticam corruptionem apprimè diſponunt.

IX. Nec verò ſolus ventriculus, aut chyloſeos defectus unicè accuſandus, cùm non rarum ſit, chylo ſic ſatis licet laudabili, & nullo in primis viis apparente vitio, ſangvinem nihilominus hypochondriaco-ſcorbuticam depravationem ſuſcipere; quando nimirum viſcera ſangvinis depuratoria vel ob propriam, quacunque de cauſa contractam ἀτονίαν, vel ob maſſæ ſangvineę δυσκρασίαν, cruoris recrementa, *hepar* quidem bilioſa, lixiva, 🜿reo-🜔na, *lien* verò, *pancreas aliæve glandulæ* ſeroſa, acore occulto & 🜨eis feculentiis inquinata &c. non debitè vel ſecernunt, vel ad ſecernendum diſponunt.

X. Unde ſangvis pro ſeri ſaliumque diverſorum conſtitutione, miſtione & proportione variâ nunc bilioſus nimis, lixivus atque fluxilis, in reſolutiones, ebullitiones atque excandeſcentias pronus; nunc acidus, auſterus, acerbus, ad ſtagnationem & grumeſcentiam diſpoſitus, tot, tamque diverſa, & non rarò contrariis planè frontibus pugnantia ſymptomata pro naturæ directione, temperamentorum diverſitate & diſpoſitione partium producit, quorum intuitu affectionem hypochondriacam & ſcorbuticam aliam calidam, aliam frigidam non ineptè quis dixerit: Quemadmodum

Williſius

Williſius quoque duplicem ſangvinis dyſcraſiam in affectu hypochondriaco & ſcorbuto agnoſcit, unam aduſtam, præfervidam, 🜍eo-⊖inam, quam cum vino rancido in ſcorbuto comparat; alteram frigidam, ⊖no-🜍ream, vino pendulo æquiparandam, *libr. de morbis convulſiv. cap. 11. & de ſcorbuto cap. 1.*

XI. Ex cauſis remotioribus 1. malam victus rationem, 2. affectuum exorbitantiam, 3. aëris vitium & contagium, ac demum febres diuturnas prægreſſas nominaſſe ſufficiat; quibus in anteceſſum delibatis ſequitur nunc in

CAPITE II

Hiſtoria læſionum reſpirationis hypochondriaco-ſcorbuticarum.

I. RESpirationem in hypochondriacis atque ſcorbuticis diverſimodè lædi, tùm conſtans Medicorum obſervatio, tùm quotidiana experientia abundè teſtatur. Quanquam enim, ut benè in Praxi *Sennertus* obſervat, à minus attentis, præcipuè ſub morbi initium, non protinus ſpirandi difficultas animadvertatur, ea tamen, accedente potiſſimùm validiore corporis motu, tantum abeſt, ut latere poſſit, quin potiùs cum notoriâ pectoris anguſtiâ, cordisq; anxietate ſubindè manifeſtò nimis ſeſe prodat. Quare inter potiora affectionis hypochondriacæ & ſcorbuticæ tùm ſigna, tùm ſymptomata iſtam anhelitus difficultatē cum pectoris anguſtiâ numerant *Eugalenus, Ronſæus, Foreſtus, Sennertus, Horſtius, Highmorus, Williſius*, & quicunque de affectuum prædictorum alterutro quidquam conſignarunt. Quin *Foreſtus* non veretur pathognomonicis ſcorbuti ſignis reliquis, crurum cum dolore debilitati, gingivarum pruriginoſæ rubedini ac dolori, colori faciei in nigredinē vergenti, præcordiorum quoque anguſtiam accenſere, *lib. XX. obſ. 11.*

II. Uti verò communiter reſpirationis læſæ diverſa numerantur genera, gradus & differentiæ, præcipuè quatenus nunc abolita, nunc imminuta, aucta vel depravata occurrit; Ita in hypochondriaco-ſcorbuticâ quoque paſſione non unius generis ſpirandi

randi

randi difficultas, nec ex iisdem causis tùm continentib9, tùm procatarcticis inducta observatur, sed modò mitius, modò gravius; aliquando continuò, sæpiùs periodicè, nec rarò cum syncopes vel suffocationis discrimine, aliisque symptomatibus infestare solet. Variantq; in infinitum penè, quæ circa respirationẽ in hypochondriacis & scorbuticis contingunt, phænomena.

III. Plerique, potissimùm quibus crudus, depauperatus, ad æquabilem circuitum & rarefactionem ineptus sangvis existit, continuò crebriorem densioremque solito ducunt spiritum, quem tamen, ob habituatam velut consvetudinem, minus molestum experiuntur, nisi vehementius paulò corpus commoverint. Aliis ad levissimum corporis motum anhelitus difficultas ingravescit, potissimùm, quando vel scalas, vel alium locum acclivem ascendere conantur. Cujus phænomeni ratio tùm ex *Willisio cap. 3. de scorbuto*, tùm inferiùs ex *cap. 3. §. 6.* petenda.

IV. Plures, à spirandi quacunque difficultate cetera immunes, per intervalla nunc breviora, nunc longiora paroxysmis asthmaticis corripiuntur, ut altius, crebrius, densiusq; ac laboriosius haurire spiritum cogantur, cum insigni non rarò angustiâ præcordiorum, tensione hypochondriorum & suffocatoriâ anxietate, sie klagen / es sey ihnen so angst und bange / so enge / voll und gespannet ům die Brust / daß sie nicht zu bleiben wüsten. Idque modò absque causâ manifestâ, modò à causis occasionalibus variis.

V. Ita observare licet, quosdam horâ unâ vel alterâ à pastu insignem experiri anhelitûs molestiam, cum vel sine phlogosi & incalescentiâ extremorum, idque modò à chylo vitioso cordi advecto, modò ab inflatione & tensione hypochondriorum. Similiter ab exercitio vehementiore corporis, animi excandescentia, vel aliis passionibus gravioribus, assumtis calidioribus, acribus & flatulentis frequentissimè spirandi ingruit difficultas, quemadmodùm in nobili juvene, calidâ & siccâ viscerum constitutione prædito, palpitationem cordis cum respiratione difficili & quasi suffocante, ab exercitio vehementiore, vinique potu largiore sæpiùs ingruentem adnotavit *Greg. Horstius lib. III. obs. med. 13.* Ac in studioso nobili hypochondriaco, post vini generosioris ingurgitationem, dulciumque immoderatum usum ira vehementiori, dissidii

oborti occasione, excandescente, subitam eamque gravissimam spirandi difficultatem, cum suffocatoria anxietate & motibus convulsivis observavit *Experientiss. Dn. D. Præses*, Præceptor atque Promotor jugiter devenerandus. A purgantibus quoque validioribus dyspnœam scorbuticam in dispositis productam Autorum testantur observationes.

VI. Porrò notari quoque meretur, scorbuticos quosdã decumbentes liberè satis spirare, dũ verò se movent aut erigunt, ac erecti aliquandiu sedere conantur, ob anhelitus insignem difficultatem & angustiam, animi deliquio tentari, quod tùm in aliis pluribus, tùm potissimùm in Prætore Castricomio observavit *Forestus*, qui, quoties levissimo sese motu erigeret, in syncopen cadebat, ita ut sæpè pro semimortuo reputaretur, *lib. XX. obs. 12.* & in Viro quodam Magnifico *Möllenbroccius de Arthrid. vag. scorb. cap. 3.* qui statim, ac è lecto surgebat, animo linquebatur. E contrariò alii de die, & ubi erecti incedunt, liberâ satis respiratione gaudent; noctu verò, inclinatô ad somnum corpore, laboriosissimum protinus anhelitum ducunt, quod in stannario observavit *Dn. D. Ettmüller Lipsiensis*, & in scorbuticis serosioribus non infrequenter contingere, planè mihi persvadeo, ob rationem inferiùs *cap. 4. §. 5.* exponendam.

VII. Non incongruum hôc locô erit, asthma nocturnum s. *incubum*, quem nostro idiomate den Alp/die Drutte nominant, commemorare, symptoma hypochondriacis & scorbuticis plerisque admodùm familiare, ad quod tanquam Dæmonis ludibrium, credulum inque superstitionem pronum vulgus expavescit. Estque nihil aliud, quàm respirationis & vocis interceptio, cum strangulationis metu, & oneris pectori incumbentis insomnio. Accidit ferè dormientibus tantum, supino tùm totius corporis, tùm potissimùm capitis decubitu. Inter rarius contingentia numerandum, quod observavit *Rolfincius*, interdiu & vigilantem incubo correptum fuisse, cui simile quid contubernali cuidam meo accidisse memini, qui dormituriens, & oculis vix ad somnum compositis, molestum hoc onus experiebatur.

IIX. Frequentissimè in praxi occurrit, à μεταστάσει materiæ peccantis ♀eæ, scorbuticæ ad pectus & spiritalia organa, asthma gravissimum, aliquando suffocatorium, nec rarò funestum induci. Sic totâ die occurrit, ab arthritide scorbuticâ vel incautâ frigoris

admissio-

admissione, vel topicorum præposterâ applicatione, retropulsa, vel aliâ quacunque de causâ retrogradâ, anxietatem præcordiorum cum laboriosissimô anhelitu invadere, quod vulgus effert: das Zipperlein ist ihm in den Leib getreten / und machet Hertzens-Angst. Polemarcho de Thermes, cùm irarum æstu conflagraret, suppressa est materia arthritica, inde natum asthma, quod illum ad exitum præcipitavit, quod advertit *Duretus Schol. ad Holler. de morb. intern. lib. I. cap. 25.* Sic podagrâ repulsâ asthma excitatum notarunt *Crato consf. 367. Trincavell. lib. XII. c. 1.* uti contra quendam ab orthopnœa liberatum superveniente podagra notavit *Dodonæus obs. cap. XX.*

IX. Pariter à scabie, per intempestivas inunctiones ☿ales, ♀ratas, ♄ninas &c. retropulsâ, ulceribus præmaturè clausis, tumoribus scorbuticis evanescentibus, idem symptoma observatur; quod Viro cuidam pl. reverendo, mihique tàm sangvinis vinculo, quàm singulari affectu conjunctissimo, à tumore pedis sinistri scorbuticô absque causâ manifestâ evanescente, funesto, & suis pariter ac bonis omnibus lamentabili eventu accidisse, ex communicatione benevolâ *Excellent. Dn. D. Mackii*, Archiatri Schvvartzburgici celebratissimi, habeo.

X. Denique nec illud prætereundum, quod tùm alii, tùm potissimum *Sennertus Prax. lib. III. part. V. sect. 2. cap. 4.* & *Willisius de scorbuto cap. 3.* annotarunt, scorbuticos quosdam (addo & hypochondriacos) de angustiâ cordisque anxietate magis, quàm respirationis difficultate, & pulmonum motu inhibito conqueri, quæ angustia interdum adeò augeatur, ut lypothymiam minetur, & caligo oculis offundatur, ac nisi tollatur, ægri statim animam reddituri videantur. Speciatim advertit *Willisius loc. cit.* sentire quosdam præcordia ambitumque thoracis arctius constringi, ac in minus spatium coarctari; quale quid in *Senatore Bononiensi* hypochondriaco *Claudinus consf. 110.* observavit, cui inter respirandum thorax velut vinculô quodam constringi, ut dilatari non posset, & cor quasi opprimi videbatur. Quod inspiratio exspiratione laboriosior existat, ac non raro media quasi via & thorace terminetur, vulgo notum, habetque id asthma scorbuticum cum vulgari ferè commune. At verò inspirationem aliquando nimis profun-

dè duci, ut laborantes ægre & difficulter exſpirent, quod laudatus *Williſius loc. cit.* advertit, à paucis hactenus obſervatum invenio.

XI. Enumerata hactenus, & quæ plura hùc collimantia recenſeri poſſent, phænomena ut in unum tandem colligamus, in eo omnia conveniunt, quòd *ex hypochondriaco-ſcorbuticâ labe reſpiratio læſa* exiſtat, quam receptæ methodo morem geſturi deſcribimus, quòd ſit *motus thoracis, diaphragmatis, & pulmonum ob horum expanſionem, variis de cauſis*, deinceps nominandis, *impeditam, à naturali deflectens.* Cumque ſuperius monitum fuerit, ac ex antedictis facilè colligatur, ſpirandi difficultatem modò mitius, modò atrocius infeſtare, non multum peccabimus, ſi diſtinctionis melioris gratiâ ſpirandi difficultatem leviorem *dyſpnϾ hypochondriaco-ſcorbuticæ*, graviorem *aſthmatis*, nunc *continui*, nunc *periodici*, graviſſimam cum ſuffocationis extantiori diſcrimine conjunctam, *ſuffocationis* nomine complectamur.

XII. Ac quod ſpeciatim ſuffocationem attinet, experientia crebrior confirmat, ſpirandi difficultatem in ſcorbuticis & hypochondriacis nonnunquàm adeo ingraveſcere, ut vox etiam omnis intercipiatur, quod apud *Scholzium conſ. 182.* obſervavit *Matthiolus*; & ſuffocationis periculum immineat præſentiſſimum, apud *Claudinum conſ. 98. Williſium de morbis convulſivis*, aliosque. Quin non improbabile videtur, feminas quoque hypochondriacas & ſcorbuticas, ob labem ſimilem aliquando paroxyſmis ſuffocatoriis tentari, qui promiſcuè vulgo pro hyſtericis, ſed perperam venditantur.

CAPUT III.

Cauſæ læſionum recenſitarum.

I. UT reſpiratio naturaliter fiat, *duo* potiſſimum ſunt neceſſaria, quorum *primum* eſt, ut viæ aëri ingreſſuro & egreſſuro liberè pateant; *alterum*, ut aër pulmones debitè expandere & explicare queat; Quoties itaque vel viæ obſtructæ, vel expanſio pulmonum impedita, diverſimodè læditur reſpiratio. Ubi uſum auctum nullatenùs excludimus, cùm certum ſit, ſangvinem ipſum diverſimodè modificare reſpirationem, ut in ſubſequentibus patebit.

II. Obſtru-

II. Obstructio viarum, ut in asthmate communi, bronchiis à pituitâ viscidâ, pure, materia tophacea alióve impedimento obstructis omnem facit paginam; Ita in dyspnœâ vel asthmate hypochondriaco-scorbutico rariùs, contrà plerumque *expansio pulmonum impedita*, vel quocunque modô *vitiata*, videtur accusanda, quam proin pro *causâ immediatâ læsionum respirationis hypochondriaco-scorbuticarum* venditare non dubitamus, cui usum quoque auctum, quantum fieri poterit, accommodabimus.

III. Impeditur verò vel vitiatur tàm necessaria, pro aëris continuâ reciprocatione & recentatione, pulmonum expansio nunc intra pectoris cavitatem, nunc extra eandem.

IV. Intra thoracis cavitatem læditur tum sangvinis (quô nomine universam massam sangvineam, ex dextro cordis ventriculo per pulmones successivè in sinistrum, indeque in universum corpus distribuendam, ex sangvine & lymphâ refluâ, chyloque per ductum thoracicum advecto constantem, complectimur) per pulmones trajiciendi, tùm pulmonum culpâ.

V. *Sangvinis culpâ* pulmonum vitiatur expansio *modò ob rarefactionem atque ebullitionem* nimiam, modò ob *stagnationem & grumescentiam* aliqualem sangvinis. *Prius fit*, quando sangvis hypochondriaco-scorbuticus adustus, biliosus, potissimum verò serum acre, lixivum & fluxile nimis, in corde p. n. ebulliens, indeque per arteriam pulmonalem cum impetu in pulmones irruens, bronchia & vesiculas pulmonales comprimit, vasa sangviflua distendit, ut pulmones relaxari debitè, ac pro aëris recentatione rursus expandi sufficienter nequeant. Istam verò ebullitionẽ & turgescentiam sero inducere varia possunt, v. g. motus corporis animique vehementiores, assumta acria, calidiora & halituosa, vel quodcunque extraneum & non miscibile M. S.^{neæ} confusum, effluvia cohibita, evacuationes solitæ, hæmorrhoidales, menstruæ, suppressæ. Dyspnœa ejusmodi vel *asthma serosum*, uti extra scorbuticam depravationem non raró quoque occurrit, observatum à *Balth. Timæo lib. II. cas. med. 11. Joh. Zecchio Bononiensi in Card. Paleotto consult. XXVIII.* cum stranguriâ alternatim infestans; uberius expositum à *Carolo Pisone de morbis à serosa colluvie*: Ita in hypochondriacis & scorbuticis, quibus sangvis serosior, te-

nuior, acrior, in excandeſcentias & ebullitiones pronus, quàm maximè obſervatur.

VI. *Poſterius* à ſangvine crudo, viſcido, acido, auſtero, ſeroque & chylo ſimili contingit, qui in cordis ventriculum dextrum illapſus, ob cruditatem & viſcoſitatem non rareſit illicò, ac per arteriam pulmonalem in pulmones exilit, ſed in corde ſtagnare & reſidere aptus, ipſius oppreſſionem intendit: in cujus ſublevationem reſpiratio crebrior inſtituitur, ut ſangvine in pulmones exantlato eidem ſuccurratur; quam rationem egregiè diducit ingenioſiſſimus *Williſius de Febribus cap. 2. & de ſcorbut. cap. 3.* Hinc eſt, quòd tùm hora una vel altera à paſtu; tùm à motu corporis, plurimum in hypochondriacis intendatur anhelitus difficultas, quatenus ibi chylus crudior ſangvini affunditur; hîc verò motu plus cruoris in ventriculum cordis urgetur, quàm reſpiratione aut pulſu poteſt in vaſa pnevmonica derivari, unde reſpiratio anheloſa, cum ſuffocationis nonnunquam metu.

VII. Acor verò peregrinus, vel humor acidus, auſterus, ponticus ſangvini confuſus, eundem circa præcordia & vaſa pulmonalia plus minus coagulando, ac circulationem æquabilem turbando, reſpirationem non poteſt non inſigniter ſufflaminare, in cujus rei fidem experimentum à *D. Fracasſato, Anatomiæ Prof. Piſano* inſtitutum apponere lubet, qui infuſo in venam jugularem vivi canis ~u ⊕li, animal aliquandiu more epilepticorum ſpumaſſe, citata reſpiratione aërem traxiſſe, in demortuo demum ſangvinem fixum & grumoſum, invenit, ceu referunt *acta philoſoph. Societatis Regiæ Anglic. anno 1667. n. 27.* quod experimentum non impari ſucceſſu hiſce diebus inſtitutum, genuinam catarrhi ſuffocativi cauſam inveſtigaturo non parum lucis fœnerari poſſet, quem à ſangvinis per pulmones circuitu præpedito potiùs, quàm catarrhoſâ à capite depluente colluvie deducendum ſuſpicamur.

IIX. Porrò *flatus* quoque cum ſangvine refluo cordi & pulmonibus communicari, ibidemque modò circulationem turbando, modò pulmones inflando, variè reſpirationem incommodare poſſe, tùm *Cl. Sylvius in prax. med.* aſſerit, tùm & potiſſimum *Highmorus de paſſione hyſtericâ* & *affectione hypochondriacâ* operosè adſtruere conatur, adeò, ut non vereatur ſuffocationem hyſteri-

cam

cam unicè à sangvine flatulento, vel nimis rarefacto, pulmones distendente derivare, notatus ob id à *Willisio de morb. convulsivis.*

IX. *Pulmonum culpâ* in hypochondriaco-scorbutico affectu lædi poterit respiratio, quando juxta *Willisii* hypothesin, vel nervi pneumonici, pulmonum expansioni destinati, ob irritationem spasmodicè contracti, reciprocum pulmonum motum impediunt; aut fibræ nerveæ bronchia amplectentes irritatæ eadem coarctant, ut aërem sufficientem admittere nequeant: Vel iidem nervi pneumonici -ꝰbus animalibus transitum, quacunque de causa, denegant; sicuti à nervis istis præscisis motum pulmonum sublatum vidit *B. Schenkius.* Plura in hanc rem paulò pòst, ubi de asthmate paralytico & convulsivo.

X. *Extra pectoris cavitatem* pulmonum expansio impeditur tùm diaphragmatis, tùm musculorum respirationi inservientium vitio, idque triplici potissimum de causâ: Aut enim (1) Diaphragma, ob spatii in abdomine defectum, deorsum satis explicari nequit, quod fit, quando hypochondria, potissimùm ventriculus & intestina vel flatibus, aut succis vitiosis turgescentibus, distenta, vel spasmodicè contracta, motu peristaltico inverso diaphragma versùs thoracis cavitatem compellunt, sicut videmus in hydrope graviori, uteriq; gestatione sublimi, ob eundem spatii in abdomine defectum, anhelitus difficultatem urgere. Talismodi anhelitus difficultas, ab inflatis vel turgidis hypochondriis, communiter *asthma præcordiale* vocari consvevit, ac in praxi frequentissimè occurrit, cujus exemplũ admodùm notabile in *observ. med. Hœchstett. schol. ad cas. 9. dec. IX.* legi poterit.

XI. Atque hunc ferè solum diaphragmatis impeditum motum in angustiâ pectoris scorbuticâ accusant *Sennertus, Horstius, Salom. Alberti, Evgalenus* aliique, isto moti fundamento, quòd scorbutici difficulter respirantes nihil de pectore conquerantur, sed affectum locum, ubi gravamen sentiunt, sub diaphragmate ad ventriculi regionem monstrent. *Verùm,* quod pace tantorum virorum dixerim, cum angustia pectoris & spirandi difficultas iis etiam hypochondriacis non raro obveniat quibus venter & hypochondria satis mollia, ac infra costas subsidentia, spatium pro diaphragmatis motu satis liberum concedunt, in hypochondriis inflatis vel tumefactis non unicè acquiescendum, sed aliæ quoq; dispnœæ

hypo-

hypochondriaco-ſcorbuticæ cauſæ admittendæ, quales ante enumeratæ & deinceps nominandæ.

XII. Contingit enim (II.) diaphragmatis & muſculorum reſpirationi inſervientium motum, pro expanſione pulmonum, ac conſequenter reſpiratione, neceſſarium perverti, quando nervi organis prædictis pnevmaticis inſerti, fibræque nerveæ muſculorum ab acrimonia quacunque irritatæ, ſpaſmodicè contrahuntur: Quò facit experimentum à *Schwammerdammio tract. de reſpirat. ſect. II. cap. 2.* inſtitutum, qui nervis diaphragmatis ſcalpello irritatis, ſtatim contractionem ejus atque explicationem vitiari vidit. Ab iſtiusmodi nervorum irritatione ortum *aſthma* vocatur *convulſivum*, nec priſcis ignotum ſeculis, ceu patet ex *Galeno IV. de loc. affect. cap. 7.* ubi ſcribit, aliam quoque eſſe diſpnœæ ſpeciem, quum veluti brevi quiete intercipitur opus thoracis, ob muſculorũ thoracis convulſionem; à *Williſio* verò præ aliis excultum, ac obſervationibus egregiis ſtabilitum, *de morbis convulſivis cap. XII.* & in ſpecie dyſpnœæ ſcorbuticæ accommodatum *de ſcorbut. cap. 3.*

XIII. Sub finem capitis præcedentis monitum fuit, dyſpnœam hypochondriacam aliquando adeo intendi, ut cum ſuffocationis præſentiſſimo diſcrimine, & faucium conſtrictione, omnem quoque vocem intercipiat, & non raro hyſtericam ſuffocationem æmuletur. In tali *ſuffocatione graviore* nervi plexus ganglioformis, & conſequenter muſculi laryngis ſpaſmodicè contrahi videntur, qualem laryngis convulſionem in affectu graviſſimo, cum deglutitione læſâ & ſuffocationis periculo conjuncto, artificioſa conjectura colligit *Solenander ſect. II. conſ. 24.* In *leviore* vero ſuffocationis diſcrimine nervorum pnevmonicorum, & motum diaphragmatis ac thoracis abſolventium ſpaſmodica contractio, vel etiam hypochondriorum ſolùm inflatio, aut pulmonum à ſangvine flatulento diſtenſio videtur ſufficere poſſe. *vid. ſupr. §. 8.*

XIV. Dictum modò, à ſpaſmodicâ diaphragmatis & muſculorum reſpirationi dicatorum, contractione variè in hypochondriacis & ſcorbuticis lædi reſpirationem, quod nemini mirum videbitur, qui conſideraverit, nullum affectum motuum convulſivorum eſſe feraciorem, quàm ſcorbutum; quam in rem inter alios legi meretur *Drawitius* vom Schmertzmachenden

Schar-

Scharbock. Restat verò (III.) alia causa, ob quam diaphragmatis & musculorum respirationi inservientium motus, pro pulmonum expansione summè necessarius, inhibetur, quando nimirum sufficienti spirituum animalium influxu destituuntur, quam facultatem læsam veteres dixerunt. Sicut enim in artubus à sangvine scorbutico minus spirituoso paralyses & motus impotentiam quotidiè observamus; ita non improbabile, à spirituum & sangvinis, in musculos respiratorios influentium, indispositione, motum thoracis non parum sufflaminari, eoque magis, si ob nervorum obstructionem spirituum irradiatio tollatur, unde oritur *asthma*, ad differentiam aliorum, *paralyticum*. Adducta jam egregiè confirmat experimentum *Loweri lib. de motu sangvinis cap. 2.* nervis octavi paris in cervice arctè ligatis animalis cor tremulum, pectus verò admodum suspiriosum observantis.

XV. Ab hujusmodi spirituum in organa pneumonica influxu denegato, incubum s. asthma nocturnum aliquando produci non improbabile videtur, sive serum in substantiam cerebri profundius illapsum, quam ut commodè ac expeditè satis recipi possit, oppressionem pororum cerebri & spirituum intentet, quod *Excellentiss. Dn. D. Wedelio Theorem. Med. p. 70.* placet; sive chylus viscosior & crudior cordi advectus, cùm subigi nequeat, circularem sangvinis circa præcordia, & hinc spirituum quoque animalium in cerebro atque appendice nervosâ motum turbet; unde turbulenta insomnia, & ob sufflaminatum spirituum animalium in motus organa influxum variarum functionum læsiones. Sola verò respirationis & vocis interceptio phantasiæ offertur, quia solus thoracis motus in somno summè necessarius est.

XVI. Quô pactô à tumoribus, scabie, arthritide scorbuticâ retropulsâ vel retrogradâ, angustia præcordiorum cum spirandi difficultate excitari possit, ex dictis non difficile erit explanare. Materia enim ista extranea, ex massâ sangvineâ semel segregata atque præcipitata, eidem reaffusa cùm heterogenea sit & non miscibilis, non potest nō sangvinis crasin insigniter pervertere, motumq; & circulationem æquabilem turbare, sicut vino contingere observamus, cùm feces prius ad fundum detrusæ, denuò commotæ elevantur, vel si heterogeneum aliquid, uti sevum aut sulphur exoticum dolio injicitur, exindè perturbatio insignis concitatur. Ex ebullitione

 verò

verò feri fcorbutici & inæquali circuitu fangvinis refpirationem varie lædi,ex ante dictis conftat. Porrò fi materia ifta heterogenea in nervis pneumonicis deponatur, non mirum eft, fi nervi ifti vel fpasmodicè contracti,vel obftructi aut refoluti,pulmonum diaphragmatis & mufculorum thoracis motum naturalem, & confequenter refpirationem variè pervertant ; Ut alias rationes brevitatis ftudio jam non attingamus.

Caput IV.

Diagnofis & Prognofis.

I. RESpirationis læfæ diagnofin operosè fectari fupervacaneum videri poffet, cùm & fenfibus pateat,& ex patientum querulo anhelitu ac fufpiriosâ relatione non difficulter colligatur : *Verùm*, cùm non quamcunque refpirationis læfionem difcutiendam fumferimus, fed ex hypochondriaco-fcorbuticâ folùm labe inductam,quæ ipfa varias tùm caufarum,tùm graduum aliarumque circumftantiarum ratione admittit differentias, neceffarium erit inquirere,quomodo (1) *tùm ab afthmate communi,dispnœâ, aliisq; vulgò notis refpirationis fymptomatibus* ; tùm (2) *à fe invicem dignofcendæ refpirationis læfiones hypochondriaco-fcorbuticæ*; quibus (3) *caufarum fuccinctam diagnofin* fubjungemus.

II. Quoad *primùm: Eugalenus,Horftius,Sennertus* inde difcrimen petunt,quòd in refpiratione difficili,de quâ hactenus egimus,nihil eorum percipiatur,quæ ad morbos thoracis aliàs neceffariò confeqvuntur, ut funt tuffis,fibilus,ftertor,dolor pungens &c. quodque ægroti parum de pectore, plurimum verò de gravamine fub diaphragmate ad ventriculi regionem conquerantur: Quibus jungendum, quòd refpirationis hæc difficultas feu potiùs anguftia non perpetua,nec eâdem vehementiâ femper moleftet,fed brevibus intervallis vel ceffet,vel remittat,ac poftea recurrat vel augeatur, ut habet *Sennertus prax. de fcorbut. cap.4.*

III. *Verùm*, cùm nec pathognomonica, nec univerfalia fatis atque fida hæc fint figna,non licebit inde de hypochondriaco-fcorbuticâ refpirationis læfione certò concludere,nifi alia quoque

utrimque

utriusque affectus symptomata, modò plura, modò pauciora adjungantur, quorum potiora sunt inflationes ventriculi & tensiones dolorificæ hypochondriorum, rugitus intestinorum, ructus insipidi, nidorosi, acidi, sputatio frequens, cardialgia, φλόγωσις post pastum, vomitus limpidi, acidi, biliosi, nigricantes, alvus modò obstinatè contumax, modò in dejectiones profusa, palpitatio cordis, vertigo, tinnitus aurium, scotomia, pavores & sudores nocturni, lassitudo totius, δυσαρέστησις, mœror insolitus, facies modò pallida, lurida, modò inflata, sicuti universum quoque corpus modò aridum atque exsuccum, modò inflatum, obœsitatem mentiens. Quibus *in scorbutico corruptionis gradu* jungentur dolores varii & inexplicabiles dorsi, abdominis, capitis, artuum, modò fixi, modò vagi, gingivarum putrilago & cruentatio, crurum modò debilitas, modò tumores, ulcera, erysipelata, maculæ lividæ, purpureæ, subindè sparsim in toto corpore, potissimùm hypochondriis apparentes, hæmorrhagiæ insolitæ, paralyses, apoplexiæ, epilepsiæ, motus convulsivi &c. *Urina* modò flammea, saturatè tincta, modò cruda, pallida, aquosa, plerumque arenulis rubicundis, matulam incrustantibus, conspicua. Quodsi verò præter dicta, vulgaria pectoralia, incidentia & antiasthmatica nihil juverint, dyspnœam non essentialem, sed symptomaticam esse, & ex hypochondriis foveri, non inanis erit suspicio.

IV. Quoad *secundum*, dictum superiùs, nos quamcunque ex hypochondriacâ ac scorbuticâ labe inductam respirationis difficultatem, si levior, *dyspnœæ*, si gravior, suspiriosa & anhelosa, *asthmatis*; sin gravissima cum strangulatione, vel certè suffocatoriâ anxietate graviori conjuncta, *suffocationis hypochondriacæ* vel *scorbuticæ* nomine complecti, subinde tamen, ubi certum quendam gradum exprimere non licet, dyspnœæ, tanquàm generaliori, nomine utentes. Qui quidem gradus uti methodum medendi non multum variant, ita dignosci ab invicem non difficulter queunt.

V. Quoad *tertium*, causarum nimirùm dignotionem, eam, cum majoris in methodo medendi sit momenti, paulò uberius persequemur. Itaque *ab ebullitione seri scorbutici ortum asthma vel dyspnœam* comitabitur utplurimum φλόγωσις atque æstuatio tùm totius, tùm potissimùm præcordiorum, ac repletionis in pectore

 sensus,

sensus, pulsus non minus, ac anhelitus concitatus: ⊡a saturatè tincta, flammea, si non in paroxysmo, saltim extra eundem. Anhelitus molestia non continua erit, sed vel periodica, noctu potissimùm ingravescens, quatenus tùm lecti calore, tùm ob solis recessum & Lunæ, humorum dominæ, accessum expanduntur magis atque turgent humores serosi: Vel inordinatis vicibus invadens, modò absque causâ manifestâ, modò à causis superius recensitis. Aderunt simul alia scorbuti calidi, seu bilis adustæ vel ⊖ium lixivorum sero incoctorum signa, e.g. æstuatio corporis frequens, hæmorrhagiæ aliæque excretiones insolitæ, sudores copiosi, dolores & lancinationes vagæ variis in corporis partibus.

VI. Contrarium *in dyspnœâ à chylo visc osiori, sangvineq; simili*, vel ob prædominans acidum *ad stagnationem & congrumationem prono* observabitur; Pulsus modò debilis, rarus, & ob interruptum sangvinis circuitum inæqualis aut intermittens; modò celer & vehemens, corde pro noxii amolitione fortius insurgente. ⊡a cruda, turbida, pallida. Dyspnœa à sangvine depauperato atque viscido continuò aliquo modo, magis tamen post pastum & motum corporis affligit. Si sangvinis grumescentia intendatur, ac in ipsum cor grumi deponantur, palpitatio cordis & syncope præ foribus. Aderunt simul alia scorbuti frigidi, seu sangvinis crudi, depauperati, sale acetoso abundantis signa; ut sunt lassitudo & tremor artuum, frigoris sensus, mœstitia, anxietas, dolores fixi magis, tinnitus aurium, visûs hebetudo &c.

VI. *Inflationes hypochondriorum*, motum diaphragmatis & musculorum pro respiratione necessarium sufflaminantes, suis se indiciis facile prodent. Ægri de angustiâ præcordiorum, ac hypochondriorum distensione potissimum conquerentur. Hypochondria repleta, tensa & suspensa erunt, ut ne digitum quidem sub iis recondere liceat. Præcessit flatulentorum usus, vel alia flatuum indicia notabuntur. Sic ex vomitu sub paroxysmi initium, ructuum vehementiâ, copiâ & efflatione, exacerbatione à cibo, aliisque signis asthma flatulentum colligit *Mindererus apud Hœchstett. Schol. ad cas. 9. dec. IX.*

VII. Quanquam & illud probe notandum, sæpe flatus perperàm accusari, ubi tensio hypochondriorum & motus inordinatus intestinorum, à mesenterii, intestinorumque, ac potissimùm fibrarum

brarum nervearum ſpasmodicâ contractione dependent, undè ſemper ad nervoſi generis lancinationem, indeque ortam convulſionem alter oculus dirigendus.

IIX. *Aſthma* verò *convulſivum* ab aliis ſpeciebus dignoſcemus, ſi abſint aſthmatis ſeroſi, præcordialis, pituitoſi ſigna, thoracis ac hypochondriorum velut conſtrictio obſervetur, & alia ſimul nervoſi generis affecti ſymptomata jungantur: Pulſus utplurimum ſatis fortis,ac debito celerior, ac interdum intermittens erit,advertente *Williſio de ſcorbut. c. 3.*

IX. *Aſthma paralyticum* uti à ſangvine crudiori, depauperato & minus ſpirituoſo ſuperius deduximus, ita ex iisdem ferè, quibus dyspnæa à ſangvine crudo inducta,dignoſcitur ſignis, cum quâ non rarò quoque jungitur & coincidit. Erit aſthma hoc continuum magis atque contumax, thorax ægrè admodùm elevabitur, reſpiratio rara, laborioſa, pulſus debilis. Ubi obiter notamus,cauſas in capite præcedente enumeratas rarò ſolitarias obſervari, ſed frequenter quasdam earum combinari, vel unam alteri ſuccedere, e. g. non rarò aſthmati ſeroſo jungitur vel ſuccedit convulſivum; à chylo ſangvineqꝫ crudiori inducto, paralyticum: Utplurimùm inflatio hypochondriorum cum fibrarum nervearum convulſione conjuncta,& ſic conſequenter.

X. Quoad *Prognoſin*: Læſiones reſpirationis hypochondriaco-ſcorbuticæ etſi in ſe nec lethales, nec incurabiles exiſtant, ob loci affecti tamen nobilitatem, & functionis læſæ dignitatem, periculo non vacant, certè inſignem moleſtiam vitæqꝫ tædium conjunctum ſemper habent, ob ſuffocationis mortisqꝫ imminentis continuum ferè metum.

XI. Ac licet per intervalla plerumque incommodent ægros, & nunc breviores,nunc longiores dent inducias; adhæc remediis convenientibus facilius, quàm aſthma commune à bronchiorum infarctu ortum, mitigari ac ad tempus benè longum ſuſpendi posſint; Cum tamen ab affectu hypochondriaco-ſcorbutico,ex confeſſione omnium contumaciſſimo,foveantur,nec niſi hâc velut radice præcisâ exſtirpari penitus posſint, longis ægritudinibus meritò annumerantur, quamvis ob paroxyſmorum vehementiam acutis aliquando accenſeri queant.

XII. Facilius verò curatur aſthma ſeroſum, præcordiale &

convulsivum, quàm paralyticum à sangvine depauperato & minus spirituoso inductum, quod ipsum, si virium jungatur exsolutio, funestum non rarò sortitur eventum.

XIII. Terminatur spirandi difficultas hypochondriaco-scorbutica ad salutem, causis successivè correctis, aut penitus ac radicitus sublatis; ad mortem subitâ nonnunquam & improvisâ suffocatione, qualem in scorbuticis observarunt *Forestus*, *Eugalenus aliique plures*; aut in alium morbum, phthisin, cachexiam, hydropem, (potissimum asthma serosum, quod observavit cum aliis *Timæus lib. II. cas. med. 11.*) epilepsiam, apoplexiam.

Caput V.

Methodus Curatoria.

I. Cùm læsiones respirationis hactenus expositæ, non vitio pulmonum essentiali contingant, sed ab hypochondriaco-scorbuticâ depravatione inducantur & foveantur, facilè cuivis patet, eas fundamento subducto spontè corruituras, nec exstirpari penitus posse, nisi radice præcisâ: Unde cura omnis non tàm symptomati, quàm morbo, affectui hypochondriaco-scorbutico, obvertenda videri posset.

II. *Verùm*, cùm nec uno ictu annosa cadat quercus, nec paucis remediis chronicus ac contumacissimus affectus expugnetur, sed attentam ac continuatam plurium annorum curam deposcat; ad hæc symptoma nostrum ipsô sæpè morbo gravius sui ablationem urgeat, in duabus hisce indicationibus primariis omnis cura studiumque nostrum occupabitur, ut

1. *Urgente paroxysmo anhelitus molestiam auferre vel mitigare, & laborantem à præsenti periculo liberare;*
2. *Extra paroxysmum, ne recurrat, depravationem hypochondriaco-scorbuticam successivè eradicare annitamur.*

Prior indicatio *curatoria*, posterior *præservatoria* vocari poterit.

III. *Indicatio curatoria* non tàm specificis pectoralibus, incidentibus, expectorantibus, asthmaticis, quàm causæ, pulmonum expansionem impedienti, debitè oppositis, simulque appro-

priatis

priatis ſcorbuticis & antihypochondriacis obtinebitur. Cumque cauſa iſta admodum variet, variabunt quoque indicationes & medendi methodus.

IV. Itaq; *aſthma ſeroſum* ſeu *ab ebullitione ſeri ſcorbutici* ortum curabimus 1. *motum ejus inordinatum versùs præcordia ſiſtendo.* 2. *colluviem imminuendo.* 3. *acrimoniam, fervorem aliasque qualitates vitioſas corrigendo.* 4. *cauſas*, quantum poſſibile, *amoliendo*, quæ quidem ultima indicatio cum ſcorbuti bilioſi curâ coincidit, *cap. VI. §. delineandâ.* *Quoad primum & ſecundum*, urgente paroxyſmo, absque morâ *Venæſectio* tùm pro revulſione, tùm pro evacuatione ſangvinis ebullientis, in pede alterutro inſtituenda, ſi vires, ætas & aliæ circumſtantiæ permittant; Similiter & *clyſter conveniens*, vel *ſeriducum lenius*, ne humoribus nimium commotis ſuffocationis periculum intendatur, ex *crem.* 🜿, *jalapp. mechoac.* utrique indicationi egregiè favet, quibus jungenda *diuretica*, ſerum turgens ad vias urinarias præcipitantia, cùm ex obſervationibus quamplurimis conſtet, aſthma ſeroſum ſuperveniente ſtranguriâ ſolutum, ac exemplum notatu digniſſimum adducat *Johan. Rhodius cent. II. obſ. 27.* Pharmacopœi Brixienſis, qui quatuor horis tàm graviter ſpiritum traxit, ut feneſtris apertis vix recreari potuerit, intra quatuor verò & viginti horas meliusculè habuit, emiſſis plus ſex & triginta libris urinæ.

V. Eligenda verò diuretica talia, quæ, quod *tertium* erat *indicatum*, ſeri ſcorbutici lixivi, bilioſi, aduſti fervorem, acrimoniam, fluxibilitatem & turgeſcentiam ſimul reſpiciant & corrigant, ut ſunt *acidula temperata*, ∽ ⊕*li*, ⊖*is*, ⊕*li* ♂*tis*, *M.S.* ∽ *aperitiv. Penoti*, *clyſſ.* ℥*ij. corall. præp. lap.* ♋. *milleped. præp. cum antiſcorbuticis temperatioribus* combinata, quibus *diaphoretica* quoque ad ſeri reliquias per poros cutis eliminandas, & *opiata*, ſi impetuoſior ſeri ebullientis motus urgeat, ſed circumſpectè ſocianda. Formulas ex prædictis concinnare nec inſtituti, nec temporis ratio permittit; ne tamen omnino recepti moris obliti videamur, ſufficiat unam vel alteram adjeciſſe:

℞. *cremor.* 🜿 ℈*j.*
reſin. gialap. gr. vj.
🝆 *citr. gtt. ij M. F Pulvis.*
S. Lind-Purgier-Pülverlein.

Aſſumi poteſt in decoct. prunor. aut ſero lactis caprill. c. ſir. roſ. ſolut. vel vehiculo quodam domeſtico.

℞. aq.

℞. *aq. acetos.*　　　　　　　*⊖li ♂ ℈j.*
cichor. ā ℥iij.　　　　　*magist. lap. ♋. ʒß.*
succ. citr. ℥j.　　　　　*syr. corall. Querc.* ℥j. *M.S.*

Allerley-Tränckleín / wohl umzurütteln / davon zum öfftern 2. oder 3. Löffel zu nehmen.

℞. *Tinct. rosar. ⊖lat. cum aq. antiscorbut. extract.* ℥j. *D.S.*

Sonderliche Tinctur 1. 2. oder 3. Löffel in 1. Maaß Bier zum ordinar Tranck.

Acidulæ, si contumacior affectus, quatenus tùm per alvum, tùm per □m ac sudorem serum superfluum expellunt, admodùm commendabiles, viditque ab asthmate seroso acidularum Pyrmontanarum usu, quendam integrè liberatum *D. Meibomius, Disp. de resp. diffic.*

VI. *Dispnœa à chylo sangvineq́; crudiore, viscosiore ac minus spirituoso*, quæ dependet, ac constanter hypochondriacos & scorbuticos quosdam affligit, non curabitur, nisi jam dicta sangvinis dyscrasia emendetur. Undè hùc accommodanda, quæ *cap. VI. §. 7.* habentur. In antecessum tamen moneo, anhelitus difficultati, si urgeat, præter universalia opponenda esse spirituosa, balsamica, volatiliora, calidiora, incidentia, acorem corrigentia, fermentantia, potissimum *♂lia, cap. VI. §. 5.* enumeranda, quæ variis indicationibus satisfaciunt, ac in incubo quoq́; si quid aliud, egregiè se gerunt. Sic novimus studiosum hypochondriacum, incubo sæpius afflictum præmissis universalibus, usu ♂lium restitutum ab *Excell. Dn. Wedelio, Doctore atque Promotore æternum suspiciendo.*

℞. *aq. cinam. spirituos.* ℥ß.
asthmat. ℥i.
ess. helen. ʒj.
⊖✻ci anisat. ʒß.
syr. antiscorb. Mynf. ℥j.
M.S. Brusttränckl. ein klein Löffel auf 1mal.

℞. *croc. ♂tis sacchar.* ʒj.
rad. ari præp. ʒß.
spec. aromat. rosat. ʒij.
flor. ♀ris ʒß.
elæosacch. cinam. ℥ß. *M.*
F. Pulvis, Dos. ʒß. in vino chalybeato vel alio vehiculo conveniente.

VII. Quodsi verò *sangvis circa præcordia* ob grumescentiam aliqualem, coagulationem ab acido factam, vel quacunque aliâ de causâ, *stagnans* insignem anhelitus difficultatem cum suffocatoriâ

toriâ anxietate causetur, omni ope allaborandum, ut stagnatio impediatur, & sangvinis circularis motus promoveatur, cui fini consultum absque morâ Venæsectionem instituere, atque diaphoretica volatiliora & resolventia exhibere, v.g. *Tinct. bezoart. mist. simpl.* ♁ *theriacal. camph.* ♁ *gumm.* ♓*ci cum* ⊕, *sperm. cet. lap.* ♋. *aq. chærefol. nasturt. vel succus expressus*, qualia in catarrho suffocativo non absque fructu exhibiri posse arbitror.

℞. *lap.* ♋. *pp.* ʒß.	℞. *succ. bellid.*
sperm. cet. ℈ß.	*chærefol. express.* ā ℥j.
⊖ *vol. succin. gr. vj.*	*lap.* ♋. *præp.* ʒj.
M. pro 2. dos. in cerevis. calida.	*acet. bezoart.* ℥ß.
	sir. de hyssop. ℥j. M. F. Potio pro 3. dos.

VIII. *A flatibus inductum asthma* curabitur (1.) *flatus discutiendo*, modò per purgantia vel clysterem carminativum, modò per aromatica & carminantia vulgò nota, e.g. ▽ *&* ♁ *menth. fœnic. zedoar. vitæ Matthiol. anticol. Michaël. carminativ. Sylvii.* ♁ ⌽, ♁ ⌽ *dulc. Ess. carminativ. Exc. D. Wedelii in Opiologia descripta, Mixtur. carminativ. Sylvii:* Quibus nervina & opiata non inconsultò miscentur, cum plerumque inflationes ventriculi & intestinorum cum spasmis fibrarum nervearum sint conjunctæ. (2.) *flatuum causam tùm evacuando, tùm corrigendo: Evacuant* commodissimè VOMITORIA, quibus, ut loquitur *Willisius Pharmac. rat. sect. III. cap. 3.* visciditas pontica, stomachi plicis firmiùs impacta, velut scopis purgatur. Sic inveteratam dyspnœam in sene omnibus frustrà tentatis, exhibitâ per vices aquâ benedictâ, & maximâ pituitæ copiâ ἄνω καὶ κάτω eductâ sustulit *Balth. Timæus lib. II. ep. 13.* Et in *asthmate præcordiali* nullum præsentius levamen vomitoriis rite adhibitis vidit *Excell. D. Wedelius.* Quâ ratione studiosum asthmaticum, cujus supra *cap. 2.* mentio facta, unico exhibito vomitorio ab *Excellent. Dn. Præside* curatum vidimus. Si vomitoria locum non habeant, adhibenda *cathartica* ex gummatibus potissimum, ut *gum.* ♓*co, sagapen. cum resin. galap.* & *troch. alhand.* *Corrigunt* flatuum causam materialem, si viscidior fuerit, acidula cum aromaticis & specificis combinata; si acrimonia acida conjuncta sit, ⊖ia volatilia aromatica & ☍sa; it. ♂lia, absorbentia & invertentia alcalina; sin biliosa, lixiva acrimonia pituitam in flatus resolvat, eligenda acida cum amaricanti-

 bus

bus & aromaticis, quæ ipsa tonum ventriculi simul roborabunt, novumque flatuum proventum præcavebunt. *Externè*, ut tensio hypochondriorum, quæ sæpissimè convulsiva existit, remittat, applicanda paregorica, nervina & penetrantia, ut *sacculi* ex *herb. paregor.* & *carminativ.* parati, in vino decocti, calideque applicati. *Empl. ex ladano Craton. carminativ. Sylvii*: ☍ *carminativ. Mynsicht.*

℞. *aq. menth. crisp.* ℥ß.	℞. *mistur. simpl.* ʒij.
meliss. herb. fœnic. rec. ℥ij.	*spir. cochlear.* ℥ß.
ess. croc. or.	*extract. zedoar.* ʒß. *M.S.*
⁓ *✱ci* ā ʒß.	Zertheilende Mistur, Dos. ʒß. in
extr. castor. gr. vj.	haustu cerevis. bis vel ter de die.
laud. opiat. gr. iij.	
c. sir. cort. aurant. ʒj. F. Mixtura Dos. cochl. j. ij.	

IX. *A convulsivâ nervorum, musculorum & membranarum contractione ortum* asthma hypochondriaco-scorbuticum curabimus (1.) *irritationem nervorum sistendo*, quod expedient cephalica & nervina, potissimum castorina, ℥na & opiata, e.g. *cran. hum. succin. corall. ungul. alc. præp. specif. cephal. Michael.* ⊖ *volat. succini, CC. lumbric.* ⁓ *fulig. ✱ci, CC. salv. rosmar. extract.* vel *essent. castor. croci*, quam in asthmate scorbutico periodico insigniter commendat *D. Kölichen act. med. Haffn. ann. 1671. 72. obs. 82. Ess. anod. Wedelii, magist. anod. Rolfincii.* (2.) *Acrimoniam quamcunque nervosum genus irritantem corrigendo*, quod obtinebimus tùm præcipitantibus, invertentibus, absorbentibus, tùm evacuantibus sæpius jam nominatis: ubi notandum, *vomitoria* cum vitium nervis impactum concussione fortiori excutiant, in hoc etiam passu, si alia permittant, magno cum fructu adhiberi. (3.) *Nervosum genus roborando*, cephalicis & nervinis ex suis fontibus petendis.

℞. *succin. præp.*	℞. *aq. epilept. Langii,*
ungul. alc. præp. ā ʒß.	*asthmatic. antiscorb.* ā ℥iß.
specif. cephal. Michaël. ʒj.	*typhor. CC.* ℥ß.
castor. ℈ß.	⁓ *CC. essentif.* ʒß.
laud. opiat. gr. ij. M.F.	*essent. croci, castor.* ā ℈ij.
Pulvis pro 3. dos. in *aq. cerasor. nigr.* vel vehiculo domestico.	*c. sirup. hyssop.* ℥j. F. l.a. Potio, S. D. Brust- und Stärck-Tränckllein. Dos. cochl. j. ij. bis vel ter de die.

X. *Exte-*

X. *Exterius* regioni pectoris & diaphragmatis adhibenda nervina & paregorica paulò antè §. 8. adducta, v. g. ℞. ℴℴℴ *chamom.* ʒij. *castor.* ʒj. *succin. lavendul. destill.* ā ℈ß. *Ungv. dialth.* ℥j. M. S. Lindernt Sälblein. Inungatur calidè locis prædictis. Atq; ad hunc modum *suffocatio hypochondriaca*, à convulsis organis respiratoriis subitò sæpè ingruens, curari poterit, exhibendo protinus nervina, potissimùm volatilia, v. g. ℞. *Ess. croc. castor.* ā ʒß. *anod. gtt. iij. ✱ci*, ʒß. M. Detur ad gtt. XX. XXX. in vehiculo spirituoso. Sin ab inflatione hypochondriorum atque tensione graviori ingruat, danda nervina cum carminativis superius §. 8. adductis. Interea nec universalia, clysteres aliaque revellentia, nec externa sæpius adducta, negligenda.

XI. *Asthmatis paralytici* cura ex iis, quæ §. 6. atque 9. habentur, molienda, ac inprimis omni studio in id incumbendum, ut (1.) *spirituum in musculos respirationi dicatos liber reparetur influxus*, quô fine, quæ in paralysi vulgò à Practicis laudantur, cephalica & nervina volatilia tùm internè, tùm externè adhibenda. (2.) *Sangvinis vigor dejectus successivè instauretur* spirituosis, balsamicis, ♂libus, aliisque appropriatis, de quibus quædam §. 6. hujus capitis, plura cap. VI. §. 7. adducuntur.

XII. Ubi *à scabie, arthritide* &c. *retropulsâ* cordis anxietas cum spirandi difficultate urget, danda DIAPHORETICA, potissimum volatiliora, ut ad corporis peripheriam recrementa heterogenea rursus expellantur. Sin æstus simul observetur, ac ebullitio humorum præsumatur, præferenda diaphoretica fixa & temperatiora, ad vias urinarias simul, quod noxium, præcipitantia, ut *mist. simpl. lap.* ♋. ♁ *diaph. Vid. supr.* §. 4. & 5. Cum quibus universalia quoque & antiscorbutica appropriata semper conjungenda.

XIII. Enumeratis hactenus ex pharmaceutico fonte depromtis remediis, *diætæ* quoque exactum jungendum *regimen*, vitando, in *seroso* quidem asthmate, quæcunque sangvinem & serum scorbuticum in orgasmum concitare possunt, in *præcordiali* flatulenta, in *convulsivo, paralytico*, ac à chyli sangvinisque viscositate & cruditate inducto ea omnia, quæ vel acrimoniam humoribus conciliare, spiritus consumere vel deprimere, ac cruditatem sangvinis augere possunt, quæ quidem ordine recensere, nec tem-

pus, nec pagellarum angustia permittit. Ante omnia verò eò allaborandum, ut radix morbosa hypochondriaco-scorbutica eruatur, ne identidem repullulent respirationis læsiones.

CAPUT VI.

Methodus præservatoria.

I. DIctum in præcedenti capite, quomodo respirationis læsiones hypochondriaco-scorbuticæ in paroxysmô veluti sint curandæ; restat ut causam quoque morbificam amovere, ac labem hypochondriaco-scorbuticam, quantum possibile, eluere annitamur.

II. Ad duo verò in affectus hypochondriaci & scorbutici curatione potissimùm attendendum, I. *Ut materia peccans debitè ac sufficienter evacuetur, simulque viscerum & vasorum obstructiones expediantur:* II. *dyscrasia massæ sangvineæ hypochondriaco-scorbuticæ emendetur, viscerumque tonus ac fermenta instaurentur.* De singulis, ob pagellarum atque temporis angustiam, brevissimè, plura desiderantem ad *Excell. Horstium, Sennertum, Willisium* aliosque de affectuum horum curâ latius agentes, remissuri.

III. Itaque *quoad prius:* Minera morbifica vel in primis viis hæret, vel in visceribus & massâ sangvineâ. Utramque, maximè tamen priorem, præmissis, si visum fuerit, digestivis & præparantibus appropriatis deinceps nominandis, evacuant I. CLYSTERES pro usus exigentia sæpiùs repetiti, quibus vel solis desperatos hypochondriacos in integrum restitutos scribit *Herc. Saxonia lib. I. prax. cap. 16.* 2. VOMITORIA, si æger ad vomendum dispositus, pituita viscida, vitrea plicis ventriculi inhæreat, materia biliosa turgens sursum vergat, nec aliæ circumstantiæ dissvadeant. 3. PURGANTIA (α) *mitiora,* si humores mobiles, lixivi, biliosi, adusti peccent, ne exasperentur. (β) in *formâ liquidâ* potissimùm, vel certè vehiculo sufficiente diluenda, cùm hypochondriaci cùm quoad totum, tùm potissimùm quoad intestina utplurimùm sint sicciores. (γ) humori peccanti debita. (δ) per ἐπίκρασιν evacuantia; *vinum passulatum laxativum, nodulus ex aperitivis appropriatis & purgantibus* combinatus, *pilulæ* ♀*eæ Quercet.*

cet. ♂*les Excell. Dn. Præsidis, hypochondriacæ Exc. D. Mackii,* alternis vel mensibus, vel septimanis, interpositis digestivis & aperitivis appropriatis assumendæ.

IV. Ubi verò massæ sangvineæ firmius inhæret vitium, illud vel per poros cutis eliminare studebimus *diaphoreticis,* pro seri sangvinisque conditione, nunc volatilioribus, nunc fixioribus aut temperatis; vel ad vias urinarias præcipitare *diureticis* passim obviis, quorum proin tùm materiam, tùm formulas congerere, brevitatis studio, supersedeo, cùm ex aperitivis & specificis mox secuturis non pauca huic intentioni simul satisfaciant. Hùc *Venæsectio* referri poterit, quatenus non quidem determinatè vitiosum solum sangvinem evacuat, sed quatenus parte superfluâ detractâ ad vegetiorem fermentationem atque heterogeneorum segregationem massam sangvineam disponit: Quâ ratione *hæmorrhoides* quoque supervenientes non parum adjumenti præstant.

V. *Evacuantia prædicta* circumspectè ad tempus aliquod continuata, simul *viscerum & vasorum obstructiones insigniter expediunt*, maximè si vel præmittantur, misceantur, interponantur aut subjungantur *aperitiva hepatica & splenetica* vulgò nota, pro humoris peccantis conditione nunc ACIDA, ♎ *aperitiv. Penot. Tinct. aperitiv. Mœbii,* ♎ ⊕*li* ♂, ♎ ⊖*lis, M. S. arcan.* ♀, ♀ ⊕*latus, crem.* & *cryst all.* ♀: nunc ALCALINA magis, modò fixa, ⊖*ia lixiva* varia, *Tinct.* ♀, *arcan. duplic. Mynf.* modò volatilia, ♎ & ⊖ *volat.* ♀, ✻*ci, CC.* quò antiscorbutica volatiliora referenda; nunc polychresta *amaricantia* ex *cichor. tarax. fumar. cent. min. absinth. chamædr.* &c. potissimùm verò ♂*lia* indeque producta ⊕lata varia: *crocus* ♂ *aperitivus,* ⊕*latus, saccharinus, pulv. cachect. Quercet. Excell. Wedelii. Pilulæ* ♂*les aperitivæ Excell. Dn. Faschii, Tinct.* ♂ *absinthiaca, antiscorbutica Wedel.* cum *arcan.* ♀ *Zwelff. Tinct.* ♂ ♀ *sata correcta Experientiss. Dn. Ludovici Tract. de volat.* ⊖*is* ♀*i descripta, electuar. chalybeatum Saxoniæ, splenetic. Timæi,* & quæ alia ex ♂te præparata prostant, quæ variis indicationibus satisfaciunt, humores acres, acidos saturant, absorbent, invertunt, dulcificant, obstructiones expediunt, fibras & parietes viscerum roborant, juxta *Willisium* vegetiorem sangvini circulationem conciliant, atque adeò in affectu hypochondriaco & scorbuto, si quid aliud, egregiè se gerunt: Omnia prædicta

aperitiva cum aqueis & diluentibus sufficientibus, serolactis, aquis hepaticis, scorbuticis, spleneticis modò simplicibus, modò compositis, sub varia forma exhibenda.

VI. Quod *alterum indicationem* attinet, monitum aliquoties in præcedentibus fuit, duplicem potissimum dyscrasiam sangvinis hypochondriaco-scorbuticam observari; Aut enim sangvis eorum acidus, austerus, fixus, crudus, iners, pituitosus, ♉osis particulis orbatus, vappescens: aut biliosus, adustus, lixivus, acris, præfervidus, sero nunc copiosiore, nunc pauciore dilutus existit, vid. supr. cap. I.

VII. *Priorem* egregiè corrigunt stomachica calidiora, aromatica, spirituosa, amaricantia, incidentia & antiscorbutica volatiliora, e. gr. *rad. ari, caryophyllat. pimpinell. helen. raphan. rust. herb. absinth. cent. min. chamædr. cuscut. cochlear. fumar. piperit. dracunc. escul. nasturt. aquat. sedi min. summit. pini, sem. sinap. cardamom. carv. anis.* &c. & varia inde præparata, spiritus, essentiæ, sirupi, succi express. tincturæ, extracta, infusa, decocta, vina vel cerevisiæ medicatæ &c. quò pertinent omnia ⊖e volatili, cumprimis ⁂oso pollentia. Hinc & acorem absorbentia, invertentia & dulcificantia, terrea, ♀ea, alcalina, ⊖ia lixiva, potissimum ♂lia sæpius laudata. Ex compositis commendari merentur *elix. propriet. antiscorb. Rolf. Elix. antihypochondriacum & scorbut. ejusd. Essentia sudorifera scorbutica Michael.* ♂ *⊕lata antiscorbut. Wedelii*, ♉ *antiscorbuticus Drawitii, Mynsicht. Electuar. antiscorbut. Mynsicht. Timæi, Sennert. splenetic um Timæi, sirup. chalybeatus Ejusd. antiscorbut. Mynsicht.* aliaque §. 5. enumerata.

VIII. *Posteriorem* emendant acidula & antiscorbutica temperatiora, omniaque hepatica vulgò dicta frigida, e. g. *herb. acetos. acetosell. beccabung. chelid. min. fumar. bellid. nummular. rad. cichor. tarax. scorzon. gramin. cerasa acida, mala citria, aurantia, ribes, tamarindi,* ex quibus itidem infusa, decocta aliæve compositiones variæ parari possunt: Attemperant diluentia, e. g. *serum lactis caprill. acidulæ, decoct. hordei, aquæ antiscorbuticæ & hepaticæ* temperatiores: Absorbent & præcipitant terrea, testacea & ♂lia, *corall. lap. ♋. conchæ, ebur, CC. præp.* ☿ ♂*le cachect. pulv. absorbens Exc. Wedelii.* Figunt, ubi opus fuerit, & ab orgasmo

cohibent

cohibent *opiata, austera, papaverina* cum prioribus mista, quorum materia & formulæ passim prostant.

IX. Viscerum tonum, fermenta ac digestiones instaurant egregiè ♂lia sæpius laudata, ab *Highmoro de affect. hyp. cap. 7.* eô potissimùm nomine in affectu hypochondriaco commendata, quòd fibras laxatas atque flaccidas stringant. Idem præstant, quanquam non adeò notoriè, amara, juxta laudatum *Highmorum,* quæ proinde cum Martialibus in hepate ac liene roborando primas facilè tenent. Præter dicta ad stomachi digestionem instaurandam egregiè conferent *elix.* ⊕*li Mynſ. stomachicum Rolfinc. nux moschat.* vel *zingib. in India conditum.* Plura apud Practicos videri possunt.

X. Nihil verò æquè plerisque intentionibus pro affectu hypochondriaco & scorbuto nondum confirmato eradicando satisfacit, quàm Acidulæ, considerate ac cum regimine debito exhibitæ, quæ materiam peccantem per omnia emunctoria corporis evacuant, sangvinis fervorem reprimunt, fibras relaxatas stringunt & roborant, omniaque ea eminenter præstant, quæ de *Martialibus suprà* §.5. adduximus.

XI. In defectu acidularum naturalium, artificiales surrogare conati sunt *Langius, Glauberus aliique,* sed impari plerumque cum successu. Infusiones ex sero lactis caprini, aut vino diluto cum pharmacis congruis paratas, nonnunquam paria cum acidulis in expediendis obstructionibus facere posse asserit *Hoffmannus Diss. de sangv. hypoch. & scorb.* ac testatur experientia, succos ex spleneticis & antiscorbuticis recentibus, ut *fumar. cochlear. nasturt. aquat. beccabung. acetosell. absinth.* &c. expressos, vino vel sero caprillo dilutos, ac continuato usu, interpositis evacuantibus debitis, exhibitos, mira quandoque in hypochondriacis ac scorbuticis præstare. Paradigmata talia, apud *Horstium, Sennert. Willis. de scorbut.* extant plura. Ubi sangvis fixior viscosior corrigendus, magnarum virium prædicatur *vinum antiscorbuticum Mynsichti,* quod ℞. *vini Rhenani* ℔iiij. *succ. cochleariæ, nasturt. aquat. beccabung. acetosæ depurat. an.* ℥iiij. *rad. raphan. sylv. enulæ camp. ireos nost. in orbiculos tenues incis. an.* ℥iß. *sem. erucæ contus.* ℥j. Mixta ponantur in vitro, & in loco frigido ad usus reserventur, addendo *nuc. mosch. tost. n.* ij. Dos. ab ℥iij. ad ℥iv. mane & vesp. hor. 2. ante

cœnam

cœnam. In dyſcraſiâ ſcorbuticâ biliosa vino ſubſtitui poterit ſerum lactis caprill. & eâdem vel paulò largiori doſi exhiberi.

XII. Regimen diæteticum ex *Greg. Horſtio Tr. de ſcorbuto & Williſio* hùc accerſendum. Tribus ſolùm verbis moneo, aërem purum eligendum, animum ad lætitiam componendum, corpus debitè movendum, & vitandam ante omnia medicorum nutriculam intemperantiam.

TANTUM.

INgenii dotes poſtquam cognovit Apollo
tot vicibus ſibi conſpicuas, ſeu Veſta pararet
pharmaca, ſeu dextrè reſeraret viſcera ferrum,
prælia ſeu noſtris junctus perdocta ſubires,
atque animum nullo non artis acumine tinctum
monſtrares, ſatis eſt, infit, fac ſpiritus ore
imperturbatis tubulis ſuccedat, honores
inde Tibi venient meriti, Tuque ipſe medendo
ſuccurrens aliis educes nomen ad aſtra.

Honoribus meritiſſimis Cl. Dn. Doctorandi ex animo gratulor & ſucceſſus condignos apprecor

Georg. Wolffg. Wedelius D.

OPtime CELLARI, Medicinæ nobile Germen,
rem facis egregiam, dùm præmia clara capeſſens
ſublimem ſcandis cathedram. Deus adnue cœptis!
Quæ non ſuccubuit, quæ non ſine laude latebit
virtus, Cultorem Temet ſuper aſtra locabit.

Quibus non quidem tuam, Nobiliſſime Dn. Doctorande, Amice conjunctiſſime, commendo eruditionem, quæ ſeipſam expetentibus ſufficienter probabit, ſed fortunam, quam dignam judico, quæ ab omnibus bonis promoveatur,

PRÆSES.